





7

1717 115a

A6

DISSERTATIO INAUGURALIS
 DE
 VALIDITATE
 DONATIONIS,

QVÆ FACTA UXORI, EO CASU,
 QVANDO BONIS, POSTEA LAPSLUS EST
 MARITUS, EAQVE A CREDITORIBUS
 POSSIDENTUR,
 QVAM

IN ACADEMIA GERANA
 INDULTU MAGNIFICI JCTORUM
 ORDINIS
 PRÆSIDE

DN. JOHANN. HENRICO Meiern,
 JCTO,

ELECTORALIS HUIJATIS REGIMIN. |CONSILIAR. JUDIC. PRO-
 VINCIAL, ASSESS. PRIMAR. PROFESS. DECRETAL. PUBL.
 ET DICT. FACULT. SENIOR.
 PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQVE JURE HONORES ET PRIVILEGIA
 DOCTORALIA LEGITIME CAPESSENDI,
 IN AUDITORIO JUR. MAJORIS COLLEGII

HORIS CONSUEVIS
 SOLENNI ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT
 PETRUS GOTTLIEB SALOMON,
 PUBLICIA - POMERANUS,
 NUNC IN SILEZIA, REGIMINIS OLSNENSIS ET JUDICIORUM
 CIVITATIS VRATISLAVIENSIS ADVOCATUS,
 DIE 21. JUN. 1717.

ERFFORTI, Typis Otton. Frideric. Wertheri, Acad. Typ. Adj.



122 p



GENEROSIS ATQVE STRENUIS;
NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS
DOCTISSIMIS DOMINIS

PRÆSIDI

ET

ASSESSORIBUS INCLYTI SCA-
BINATUS VRATISLAVIENSIS

ET

RELIQVIS QVI CONSTITUUNT
JUDICIUM MAJUS

DOMINIS, PATRONIS ET FAUTO-
RIBUS OMNI HONORE COLENDIS

FELICITATEM À DEO PERENNEM.

155



X quo Magnificus Senatus
Vratislaviensis & me legum
praconem esse voluit, ali-
quoties his, qui, moto pro-
cessu concursus Credito-
rum, Curatores bonorum
constituti sunt, tanquam cu-
rator in litem ad sui, & cum reliquorum credito-
rum in gratiam processus crida insticueretur, cum
uxore Falliti plus negotii, quam cum reliquis
omnibus esse, cognovi; quippe qua, si fieri posset
cuncta sibi retinere mallet. Quare, cum data oc-
casionel Universitatem denuo adirem, de jure uxo-
rum circa donata, qua, in processu concursus cre-
ditorum, ex multiplici capite cum rigore solent

A 2

exigere

exigere, pauca volui differere, & Dissertatiunculam Vobis, Generosi, Nobilissimi, & Doctissimi Domini ac Patroni, offerre, non tanquam normam judicandorum, sed, in signum, quod etiam absens de negotiis domi relictis cogitem; &, quoniam mea de legibus cogitata nullibi melius locari posse, credo, quam apud strenuos legum Defensores & Custodes, è quorum conspectu temerè victus non abii, quoties cunque ex legum norma causas justas peroravi. Faxit bonum Numen, ut Vos, pro pia & exacta Legum custodia, cum charissimis conjugibus & generosa prole, omnis generis felicitas circumfluat, quod omni voto expetit

Generosorum & Amplissimorum
Nominum Vestrorum

Observantissimus & perpetuo
devinctus cultor

Peter Gottlieb Salomon.





Nostro hoc seculo tam frequens vi- *Hodie Falli-*
tium est bonorum decoctio, ut *menta sunt*
vix mediocris inveniatur civitas, *frequentia.*
ubi non tristes à decoctoribus &
bonis lapsis deceptorum querelas
auribus accipias Nec, quod do-
lendum, inter sexcenta unicum
invenies exemplum, ubi solus fallimento dedit ansam for-
tuitus casus; Sed fere semper temeritas & vitium circa
administrationem facultatum propriarum & alienarum
malo viam sternit. Animi tumor, luxuria circa vestes & *cause falli-*
alimenta reliqua, ignavia, temeritas improvida, inperi- *mentorum.*
tia, domesticus splendor & affectata divitiarum species,
ad fidem conciliandam equidem satis apta & indulgentia
in familiam, vel simul, vel certe unum è recensitis, infelici
fallitorum lapsui ansam dedit. Quo seculo malorum
satis contractum est creditoribus implicatis, quoniam
rum jaeturam sibi imminere; at sequuntur plura. *Ne hac creditori*
cesse est, instrui processum concursus creditorum, unde *bus damnosa*
sequun-

Sequuntur impense judiciales: constitui curatores bonorum, qui primum sua, dein, ut possunt, & quantum quidem regula præscripta finit, ut volunt, massam communem administrant, unde necessaria damna: accedere curatorem in litem, cui dandum salarium &c. inde massæ decrementum. Sequitur haud raro ipse, creditorius, tanquam in mercedem fraudum etiam alimenta exigens & alendus à deceptis. Nec cessat uxor falliti, non solum illata sua, quod tolerandum foret, sed quicquid restat, mille artibus & coloribus eripere cupiens.

Sed animus non est, singula, quæ hac occasione discutienda forent, examinare, quoniam opus in immensum cresceret. Quid quod majori, quam à me sperandum, cum mole & apparatu & dexteritate, hoc, post multos eximios egere Franciscis Salgado *in labyrintho creditorum*, & Davides Mevius, *in discussione levaminum inopie debitorum*. Satis erit in præsentia, levi quasi digito acervum ingentem tangere, & unicam circumstantiam perlustrare inquirendo scilicet. In donationis, quæ facta uxori, eo casu, quando postea bonis lapsus est maritus, eaque à creditoribus possidentur, validitatem.

Scopus dissertationis

Thes. I.

Generaliter equidem in materia donationum multi extant Auctores; & ad manum sunt, v. g. Henricus Bocherus cum aliis; & quem fugit, quam operose quantaque cum approbatione materiam de donationibus inter virum & uxorem examinaverit Scipio Gentilis; sed hi cum reliquis ad institutum non faciunt, quoniam donationes simpliciter, sine respectu ad casum nostrum examinant, cujus circumstantiæ rem ipsam insigniter afficiunt & alterant, Quare nos, omissis cæteris, perpendemus originem

rem & causam, unde & quare donata, de quibus quaestio est, ad mulierem pervenere, & invenimus ea originem habere, vel à marito ipso & facultatibus mariti, vel ab extraneis.

eius duo membra.

Thef. II.

Quoad donata à marito, qua tali, generaliter tenendum est, donationem illam, ne amor conjugalis fiat venalis, à legibus prorsus improbatam, & dum donans in vivis est, plane nullam esse & non nisi per mortem donantis, superstiti donatario, convalescere. Lex enim ait: si inter virum & uxorem donatio facta fuerit, priore defuncto cui donatum est, ad eum res redit, qui donaverat; quod si simul, tam is, cui donatum est, quam is, qui donaverat, quaestioni decidendae gratia magis placuit valere donationem eo maxime, quod donator non super vivat, qui rem condicere possit. *L. 8. ff. d. reb. dubis.* quod Carpz. ampliat, etiam si donata illa in heredes donatarii collata fuerint. *p. 1. c. 13. d. 14.* quae nullitas donationis porro adest, si per divortium conjuges à se invicem secessere, per verba legis: à marito in uxorem donatione collata matrimonii tempore, nec initio dominium transferri potest, nec post, si divortium intercesserit, vel prior persona, quae liberalitatem accepit, rebus humanis fuerit exempta, vel ab eo, qui donavit, fuerit revocata, potest convalescere. *L. 18. c. d. donat. inter vir. & ux.* cum qua congruit *L. 32. §. 10. ff. eod. vid. & Sanchez de sancto matrimoni sacr. lib. 6. d. 15.*

Membrum Primum. LL. civiles improbant donationes inter conjuges.

quae tamen morte donatoris convalescunt.

Thef. 3.

Quibus ita se habentibus concludendum est, quod eo casu, quando bonis lapsus est maritus, eaque à creditibus

cum vir bonis lapsus est, eaque à creditibus

uxor reddit, coribus possidentur, uxor planè nulla donata à marito
quod duram. possit retinere, siue ad ornamenta & cultum, v. g. gemas
se matrimo- mas, margaritas, catenas, armilla & id genus alia, vesti-
nio, accipit. mentaque pretiosiora, & quicquid huc pertinet; siue ad
 commoditatem vitæ, v. g. vestimenta hyemalia, vasa
 omnis generis, currus & equi, &c. spectent, siue in festo
etiam in festo nativitatis Christi, aut die natali & onomastica oblata &
nativitatis. modica fuerint, siue ex administratione peculii, quod for-
& die natali. te maritus concessit, tanquam incrementum & fructus
 provenerint, siue uxor marito quædam redonaverit & sic
 donationis reciprocæ, seu remuneratoriæ speciem præ-
 tendat. Quæ omnia, secundum legum tenorem, in Saxo-
etiam secun- nia, & ubi jus saxonicum valet, in casu proposito, aliter se
dum jus sax. habere nequeunt, maximè cum creditores antiquiorem
 obligationem cum clausula oppignorationis bonorum
 habent. *vid. Perez. ad cod. ad tit. de rev. his, qua in fraud.*
cred. n. 6. & 7.

Thef. IV.

Carpz. vide- Nec obstat auctoritas Carpzovii p. 2. c. 13. d. 16. 20.
sur contra & 21. seqq. & communia DD. Saxonica jura tradentium
rius, asserta, quippe quæ ad casum nostrum se non extendunt.
sed casum penitus enim inspicienti loca allegata patebit, donatio-
non tangit. nes istiusmodi, tam judiciales, quam in festo nativitatis
 Christi, aut die natali, seu onomastica, tantum valida re-
 putari, quando res est cum consanguineis, qui lucra he-
 reditaria captant. *Wenn lachende Erben die Ueber-*
quem casum gabe oder Schenkung anfechten wollen, darwieder
ille supponat sie sich bey des donatoris Lebzeiten nicht haben mo-
 viren dürffen. Longè autem alia, quam heredum, lu-
 cra hereditaria, captantium conditio est creditorum, qui
 ne suum quidem consequi possunt. Quando hi concu-
 runt

runt cum uxore lucrativa ex causa à cridario quid possi-
 dente, tum regula firma est, quod semper potiores sint
 partes ejus, qui de lucro captando est sollicitus *per notiss. creditorum*
ma. & arg. L. 126. §. 1. ff. d. R. L. quod nostro casu verius aliaratio ai-
 cum expressa lex adfit, disertis verbis cantans: quod cre- *que heredum*
 ditoribus consultum sit, & adversus emorem, qui, sciens frau- *aliquid*
 dem, comparavit, & cum, qui ex lucrativo titulo possidet, scien- *non autem*
 tia mentione detracta. L. 5. C. d. revoc. his, qua in fraud. cred. *se autem*
 alienata sunt.

Thef. V.

Præterea dubium non est, ipso, fatente Carpzovio,
 validitatem donationum inter conjuges, in judicio facta-
 rum, & earum, quæ sunt natiuitatis Christi festo & nata- *validitatem*
 li die, non tantum contra prohibitionem juris, civilis, *donat: inter*
 sed etiam contra jus statutarium saxonicum, per solam *conjug. intro-*
 consuetudinem introductam esse p. 2. c. 13. d. 16. n. 3. & def. *duxit consue-*
 20, jam autem, neque Carpz, neque alius quisquam usu *tudo*
 receptum affirmavit, quod uxor, divitiis, quas impuden-
 ti forte sollicitatione, aut blanditiis è manibus mariti ex-
 tortis, sese fovere & cuticulam curare debeat, & justum
 esse, ut creditores, suis amissis lugere & langvere cogan-
 tur, nam consuetudo non extenditur de casu in casum, *qua non se-*
 de re ad rem, de persona in personam, sed, præsertim ubi *extendit de*
 juri contraria est ita stri&è intelligenda, ut, quantum fie- *re ad rem*
 ri possit, nullo modo amplietur. *Schrad. vol. 1. conf. 6. n. 52. nec ad pro-*
 & 54. *Oldrad. conf. 237.* vides igitur, quod in casu propo- *positum ca-*
 sito, neque apud saxonos, nec ullo alio loco donata uxori *sum.*
 à marito contra hujus creditores defendi possint, & uxori
 servari, cum consuetudo, quæ facti est, in specie, & quod
 in casu, de quo hic agitur, vigeat, probari nequit. *vid nec uxorem*
Oldrad. loco alleg. & Craver. conf. 96. n. 4. & conf. 241. quid, *tuerur*
 quod

B

quod probatio consuetudinis recepta, non ex aliquo casu
 iudicii inferioris desumatur, de quo valde dubitandum
 est, an reiterata ejus sententia, qui legum condendarum
 & statutorum introducendorum potestatem solus non
 habet, sed ignota saepe ratione seducitur, toti universita-
 ti quid obrudere valeat, cum consuetudo aliter non in-
 ducatur, quam tacito quasi consensu totius, eam admit-
 tentis, Populi.

*quomodo in-
 ducatur con-
 suetudo?*

Thef. VI.

*etiam modi-
 ca restituenda.*

Quibus suppositis & probatis, facile colligendum
 est, etiam objectionem, quod donatio modica sit, nec una
 vice, sed iterato & successivè facta, neminem tueri valere:
 Licet enim minima non curet Praetor, *per L. 4. ff. d. in inte-
 grum restit. & vulgata. Lex tamen 22. ff. d. damno infecto* dif-
 fertis verbis innuit, quod etiam valde modica in actio-
 nem possint deduci, nec video, unde iudici potestas, eti-
 am modica omittere nolenti, eripiendi, & aliena tenaci-
 ter inherenti condonandi; cum insuper anceps quaestio
 sit, quid modicum dicatur, cujus nec valor nec quantum
 determinari potest, nisi in applicatione; ubi securius, ut, si
 jus pro ipso militet, etiam modica exigenti & repetenti
 faveatur, nec rejiciatur, qui putat dass Brocken auch
 Brod machen.

si petuntur.

*difficilis de-
 terminatio
 quid modi-
 cum.*

Thef. VII.

Quid autem sentiendum de donationibus mutuis
 & remuneratoriis, quae vera donationes esse non viden-
 tur, sed permutatio inter conjuges, si laesio & fraus absit
 legis, non reprobata? miraberis hic certè subtilitatem &
 æquitatem ac circum spectam prudentiam LL. romanarum,
 qui dicunt, non valere etiam donationem mutuam
 ab

*nec donatio
 mutua valet
 inter conju-
 ges.*

ab initio, sed morte tantum confirmari. *L. 32. S. 9. § 14. ff. d. donat. inter vir.* forte enim pretio res donatae possunt esse pares, utilitate multum distare. v. g. ager & gemma; hortus nitidus, ein Zier- oder Lust-Garten/ qui quotidianas impensas requirit, & villa, pictura & annui reditus. Quam ob rem, si creditores, qui in omne jus bonis lapsi debitoris sui succedunt, voluerint, & hic revocationi locus erit. Nec obstat ex *Carpz. p. 2. c. 13. def. 18. cum DD. ibi allegatis*, ubi affirmatur, quod donatio reciproca inter conjuges valeat. Nec enim ibi expressum, quod ista validitas statim irrevocabiliter à momento invicem factae donationis existat, & si hæc mens foret, tamen præsens, quem examinare instituimus, casus forte excipiendus esset, & ecce rationem. *L. 28. pr. ff. d. donat. inter vir. § ux. quare non* ait: Si id, quod donatum sit perierit, vel consumtum sit: ejus, qui dedit est detrimentum: merito, quia manet res ejus, qui dedit suamque rem perdit. Jam pono casum: maritus donat uxori agrum, aut quidvis aliud, uxor reponit donando ædes vel gemmam &c. ædes forte incendio consumuntur & gemma furto aufertur, utrumque verò sine culpa mariti, maritus deinde bonis labitur, seu bona creditoribus cedit, quæ tamen omnibus non suffi- ciunt, ceterum hi succedunt in omne jus mariti & videntes, quod uxor e donatione adhuc ditior sit, recedere vo- lunt à donatione, an eis subveniendum? & responderetur quod sic, *per texius allegatos*, quoniam uxor ex donatione adhuc reperitur ditior. *L. 32. S. 9. ff. d. donat. inter vir. § ux.*

Thef. VIII.

Minus fortassis dubii est super rebus, quæ proveni- re ex administratione, sive peculii ad negotiandum dati, sive partis alicujus curarum domesticarum. Solent equi- dem

nec retinet
uxor quod
ex admini-
stratione sua
acquisivit.
maritus lu-
cratur quod
stantematri-
monio que-
situm.
uxor ei ope-
ratur

sem mulieres omnes res, quæ tanquam fructus & lucra ex administratione venerunt, tanquam propria sibi vindicare, at frustia & L.L. non assentientibus, sic enim succum omnem & pinguisima quævis ad se pertraherent, & maritum ad paupertatem ipsæmet redigerent, cum nihil desiderantes satis felices sint, si marito cuncta prospere cedant. Quare ubique ferme introductum est ut, quicquid stante matrimonio ab alterutro conjugum quaesitum est, lucro mariti cedat. *Carpz. p. 3. c. 25. d. 11.* nec obstat, quod una curas familiæ suscipiat & laborare soleat, nam ad hoc tenetur, nec debet mulier in domo mariti stare otiosa, tanquam truncus aut corpus mortuum, sed assuefacienda est ad lanificia, colum videlicet & fufum, pro depellendis otiiis, quæ ut plurimum inducunt luxuriam aliaque vitia. *vid. Carpz. dicto loc. d. f. 15. n. 1.*

Thef. IX.

donata ante
nuptias an
uxor restitu-
at
negant DD.
saxonici
S. jus civile
differencia
inter donata
ante & dona-
ta post nupt.

Restat ardua quaestio de donatis ante nuptias, an possint ab uxore repeti, quando maritus bonis lapsus est. generaliter negant *Carpz. p. 2. c. 13. d. 10. Berlich. p. 2. conclus. 15. n. 25.* & sexcenti alii negat etiam jus civile & quidem adeo, ut imperator dicat: inter eos, qui matrimonio coituri sunt, ante nuptias donatio facta jure consistit, etiam si eodem die nuptiæ fuerint consecuta *L. 27. ff. d. donat. inter vir. & ux. L. 6. C. d. donat. ante nupt.* unde satis apparet, quod, neglectis etiam *Carpzovii* & aliorum affirmationibus, illius donationis, quæ inter desponsatos celebrata est, longe alia ratio sit, quam ejus, quæ post contractum matrimonium secuta est, quippe hæc tantum morte donantis confirmatur, & eoque suspensa manet, ac pro lubitu à marito & uxore revocari potest, illa vero, sc. quæ intercessit inter desponsatos, revocabilis non est, sed statim atque facta suo vigore subsistit. Quare & à scabinis *Vra-tislavi-*

Vratislaviensibus, in causa Verer Johann Michael Ebert: *sent. scabinorum*
 sehen Curatorum, contra die Ebertsche Ehevirthin / *rum Vratis-*
 cum mariti bona creditoribus non sufficerent, die 9. Apri- *laviensium.*
 lis 1717. pronunciatum: daß die Ebertin 2c. hingegen
 in dem dritten und letzten parß dasjenige / was ihr
 der Ebert vor der Hochzeit verhehet / ihnen / puta Cu-
 ratoribus abfolgen zu lassen nicht verbunden sey:
 Quod eo magis alienum videri poterat, quoniam statuta
 Vratislaviensia, *Art. 1. §.* wenn siehs nun begiebet 2c.
 non tantum à sententia DD. Saxoniorum, sed etiam ab
 ipso jure civili recedere & donationes inter conjuges,
 nullo habito discrimine, sive ante, sive post nuptias factæ
 ante mortem donatoris pro invalidis, quæ ad heredes non
 transmittuntur donatore vivo, habere videntur. verba
 autem adducti §. statutorum Vratislav: hæc sunt: wenn
 siehs nun begiebet, daß dem Manne sein ehelich Weib / ohne *renor statuti*
 Testament / oder andere Vernehmung stirbet, so soll dem Man- *Vratislavi:*
 ne eigenthümlich verbleiben und zustehen / erstlich des Weib- *ensis:*
 bes zugebracht, oder bewilligt Heyrath-Guth / zur Gerade
 oder Erbe gehörig / wo sie aus derselben oder andern Ehe
 fünf oder weniger / oder auch kein Kind hinter sich am Leben
 verläßt, der sechste Theil / wo ihr aber mehr den fünf für-
 handen / ein Kindes Theil daren doch die Stücke, so der
 Mann dem Weibe (quod notandum) vor / oder nach der
 Hochzeit geschenckt / oder machen lassen / nicht gezogen, son-
 dern ihm, dem Manne / so viel deren noch fürhanden / unge-
 hindert folgen / und noch dazu / im Fall wenn kein Kind am
 Leben die Gerade für voll bleiben soll. Doch unschädlich
 der Eltern / eger / ma was selbe dadurch gerühret würde. *conferendo*
derogaz legi-
buse
 rura verba legis aut statuti, quomodo cunque se habeant,
 ubi conferendo aliud introduxit, silent. Quia specialis
 consuetudine cessante, in casu quem proposuimus, non
 obstantibus auctoritatibus DD. & LL. civilibus, supra,
 B 3 hoc

*nam ante hoc §. allegatis, nihilominus contendo, etiam ante nupti-
nuptias do- as donata uxori, obnoxia esse revocationi, quam instru-
natar. siuue unt creditores, quibus opes mariti non sufficiunt, si eis
uxor. res revocanda, antequam sponsæ donabatur, fuit obliga-
sed certo casuta, hoc est, si creditores anteriorem obligationem, cum
clausula oppignorationis bonorum in manibus habent,
vid. Perez. in Comment. ad Cod. ad tit. de revoc. quæ in fraud.
cred. n. 6. & 7. quoniam semper est melior & favorabilior
causa ejus, qui de damno vitando certat, quam ejus, qui
lucro inhæret. nec impedit, quod donatio semel vires su-
as consecuta sit, nam supra allegata L. 5. C. d. revocand. his
quæ in fraud. cred. non supponit, donationem in eventum
quendam suspensam, & jure reprobata ac nullam, sed
jam validam, & sine ulla exemptione, ait, consuleum esse cre-
ditoribus adversus eos, qui titulo lucrativo quid possident,*

Thef. X.

alcerum Visis nunc præcipuis casibus, ubi uxores vel bona
membrum cum gratia maritorum dona ab ipsis accipere, vel eadem
dissertationis extorquere, & quocunque casu deinceps sibi vindicare
greque dimittere solent, restat, ut paucis etiam tangam
mus quæ non immediate è manibus maritorum conse-
quuntur, & tamen constante matrimonio conjugibus ita
adjiciuntur, ut quærendum sit, ad quemnam pertineant;
dona nuptia- inter quæ primo loco sese offerunt dona nuptialia. Hæc
lia. novis conjugibus ab amicis solent offerri ad melius instru-
endam familiam, in memoriam congratulationis & si-
gnum benevolentiz. Et, cum non uni, sed utrique con-
lucratu u- jugum simul offerantur, nec probari possit, quod marito
terque con- hujusmodi donorum tota proprietates unquam tributa sit,
jugum pro dubium non est, quin uxor, etiam bonis lapsa marito, di-
dimidia par- midiam partem horum donorum sibi vindicet, & quoni-
tu. am ratio non subest, quare hic à jure communi & Saxonico
8c

& cujusque loci statuti recedamus, remittendus est benevolus lector ad Carpz. qui p. 3. c. 22. satis operose hanc matricam discussit.

Thef. XI.

Sequitur post dona nuptialia primo loco pecunia lustrica (Pathen-Geld) quæ fortassis defunctis liberis su-^{pecunia lu-} perest, & quicquid hoc nomine oblatum. De hoc non sine ^{strica} ratione affirmat Hopp. *in comment. ad Inst.* quod Patrimonium præsumta voluntas sit, ut plenissimo jure eam capiant infantes, *ad §. 1. Et ad verb. castrensibus pecuniis, tit. per* ^{plene acquir-} ^{itur liberis} *quas personas cuique acquir. quæ, cum vera sint, vides, patri, vivo filio proprietatem nunquam fuisse acquisitam, morientem autem transmittere pecuniam lustricam, sicut statuta, & quolibet in loco recepta jura partem cuius proximorum heredum tribuunt, unde & uxor cridarit eam sibi partem ex hereditate filii, vel pecunia lustrica vindicat, quam jus receptum assignat.*

Thef. XII.

Quoniam porto dubitandum non est, quin uxoreæ dona, quæ à cognatis suis & aliis v. g. Patrinis accipit, vel etiam ab aliis, qui non intuitu mariti dant, pleno jure, non marito, sed sibi acquirat, eaque, si marito tradantur, eodem, quo reliqua illata, jure, circa repetitionem & privilegia gaudeat; sine ulteriori quæstione pater, quod creditores mariti impedire non possint, quo minus uxor hæc ^{quomodo ad} dona integra inter reliquam suam substantiam capiat, & ^{parentes} ^{transmittat} huc pertinere puto, quod extat in statutis Vratislaviensibus: *Des Weibes Guth aber ist dieses, was sie anfangs tur der Ehe zum Manne gebracht und hernachmahls ererbet, oder, durch Gaben und Geschenck bekommen und zu erweisen, hat. Art. 1.*

Thef.

Theſ. XIII.

que intuitu
mariti accē-
pit an reti-
neat.

an dubitan-
di.

reſponſio

deciſio nega-
tiva.

Superest difficilior quaestio, de his donatis, quae uxori, intuitu mariti, vel ob ejus merita, seu, ut per uxorem hujus benevolentiam caprent, seu quia maritus, opera uxoris usus est in coemendo, in gratiam amicorum, mundo muliebri, suppellectile linea & id genus aliis. Pro uxore militant rationes. 1) maritus in praedictum creditorum lucro dotis renunciare potest. *Berl. p. 3. consil. 29. n. 39.* quidni etiam e suo & uxoris, quae ipsi operari tenetur, laboribus provenientius 2) quia maritus, concedens dona aliqua offerri uxori, ab eaque capi, non deteriores fecit facultates, sed tantum acquirenda lucra dimisit, quod non prohibetur. *L. 6. ff. que in fraud. cred. facta, ut restit.* quae rationes admodum favorabiles videntur: sed ad primam respondetur, quod lucrum dotis nondum sit in bonis mariti, nec sit res jam quaesita, sed demum quaerenda; donata autem uxori, ob merita & officia mariti, vel uxoris marito acquirentis, seu etiam intuitu mariti, ut forte propitietur, jam sunt in bonis mariti, quicquid enim durante matrimonio acquiritur, pertinet ad maritum *L. 1. ff. d. donat. inter vir & ux. adde Carpz. p. 3. c. 25. def. 8. 9. §. 10. &* quicquid occupat uxor, mariti intuitu honorata, id omne acquirit marito. *L. 45. §. 4. ff. d. acquirenda vel omit. hered. ad secundam reponendum, negari, quod maritus dum in vivo est, ea, quae uxoris in manibus reliquit, penitus dimiserit, acta enim inter virum & uxorem, quae donationem sapiunt, non nisi morte donatoris confirmantur, per sapius allegaram *L. 32. §. 2. ff. d. donationibus inter virum & ux.* Quibus praemissis dubio caret, quod creditores, quibus bona reliqua mariti non sufficiunt, & qui creditorum repraesentant, ab uxore, quae intuitu mariti accepit, cum effectu petere queant. Reliqui casus ad materiam subjectam spectantes ex deductis facile, ut spero, decidi poterunt. Finem itaque dissertatiunculae facio ac peto, ut benevolus lector boni consulat & errata emendet.*

Erfurt, Diss., 1717



f

TA → OL

nur 2 u. 4 bisher verknüpft





1717 15a 16

7. DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
VALIDITATE
DONATIONIS,
QVÆ FACTA UXORI, EO CASU,
QUANDO BONIS, POSTEA LAPSLIS EST
MARITUS, EAQVE à CREDITORIBUS
POSSIDENTUR,
QVAM

IN ACADEMIA GERANA
INDULTU MAGNIFICI JCTORUM
ORDINIS
PRÆSIDE

122 P
DN. JOHANN. HENRICO Meiern,
JCTO,

ELECTORALIS HUARTIS REGIMIN. CONSILIAR. JUDIC. PRO-
VINCIAL. ASSESS. PRIMAR. PROFESS. DECRETAL. PUBL.
ET DICT. FACULT. SENIOR.
PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME CAPESSENDI,
IN AUDITORIO JUR. MAJORIS COLLEGII
HORIS CONSUVETIS

SOLENNI ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT
PETRUS GOTTLIEB SALOMON,
BUBLICIA-POMERANUS,

NUNC IN SILESIA, REGIMINIS OLSNENSIS ET JUDICIORUM
CIVITATIS VRATISLAVIENSIS ADVOCATUS,

DIE 21. JUN. 1717.

ERFFORTI, Typis Otton. Frideric. Wertheri, Acad. Typ. Adj.

